

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3881

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Pierre-sur-Dives, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1280, juillet

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, notifie le règlement du litige survenu entre le bailli de Caen et l'abbé et les moines de Notre-Dame de Saint-Pierre-sur-Dives sur le droit de haute et basse justices et celui de justice de sang dans la terre de ces derniers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 950, p. 240.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod cum ballivus noster Cadomensis, pro nobis, ex una parte, et abbatem et conventum Beate Marie de Sancto Petro super Divam, ex altera, contentio verteretur, super hoc quod dicti abbas et conventus dicebant se habere omnimodam justiciam altam et bassam seu ad placitum spade pertinentem, de universis casibus et querelis que accidere possunt in terra ipsorum, ex dono et concessione Henrici quondam regis Anglie et ducis Normannie, excepto placito de expeditione sua et duellum (sic) de moneta, si exinde duellum oriatur ; dictique abbas et conventus dicerent se exeruisse (sic) et exercendo tenuisse dictam justiciam a tempore donationis et concessionis predictae, et ad docendum de jure suo parati erant ostendere cartam predicti regis Henrici et ad declarandum usum et possessionem suam offerebant se probaturos usus (sic) fuisse dicta justitia in casibus seu articulis qui secuntur, videlicet : de rebus gayvis, de dividendo cursus aquarum vias et cheminos, de faciendo justiciam de falsis mensuris et ponderibus, de tenendo placitum de fraragio, de dote, de retractu per bursam, de maritagio incombrato, de recognitione per XII homines, de gagio et plegio, quod justitia facta est in loco ubi non potuit fieri nec debuit de dono indecenti, de sanguine et plaga cum clamore et harou, de mahaigneio, de muldro, de raptu, de capiendo malefactores et de detinendo eos ultra diem et noctem, et de faciendo justiciam de ipsis post octo dies et amplius ; ballivo nostro Cadomensi et gentibus nostris e contrario dicentibus, videlicet dictam altam justiciam seu placitum spade ad nos pertinere debere, et se, nomine nostro, usus (sic) fuisse dicta justicia in articulis supradictis, tandem, inter nos et dictos abbatem et conventum dicta contentio sopita est in hunc modum, videlicet quod nos de universis articulis super hoc nominatis cognitionem habebimus, ita quod de omnibus articulis et singulis obventionibus, proventionibus et expletis exinde provenientibus, dicti abbas et conventus, per manus gentium nostrarum, medietatem integre et perpetuo percipient et habebunt, deputato ab ipsis abbate et conventu serviente ipsorum proprio cum gentibus nostris, qui videbit predicta expleta fieri et explectari in casibus supradictis pro jure suo conservando, salva ipsis abbati et

conventui forefactura hereditatum tenentium suorum, post perceptionem nostre medietatis fructuum primi anni. Remanet autem ipsis abbati et conventui in aliis casibus omnimoda justitia excepto placito de expeditione nostra et duello de moneta, si exinde oriatur, que nobis et successoribus nostris im perpetuum volumus remanere. Que ut perpetue stabilitatis robur obtineant, presentes litteras impressione sigilli nostri fecimus muniri. Actum Parisius anno Domini M° CC° octogesimo, mense Julio.